

KURT SMOLAK

## DE VITA GEORGII WASHINGTONII LATINA

(INQUIRITUR IN RADICES ‚ROMANAS‘ CIVITATUM  
FOEDERATARUM AMERICAE)

**Summary:** The Life of George Washington in Latin prose, edited in 1834 by Francis Glass, is an outstanding document of how a certain intellectual élite in the United States strived for being acknowledged by European academic circles as a nation of high cultural level. The author, a Philadelphia-educated Irish immigrant, who earned his living by teaching ancient and modern languages in Ohio, intended to draw attention to the similarities which, in his opinion, linked the United States, recently independent, with the early Roman Republic, free and independent, as he believed. In doing so he imitated, apart from learned archaisms and peculiarities of expression, both Livy, the most important source of the early Rome's history, and Cesar's *De Bello Gallico*, thus demonstrating that his hero, George Washington, exceeded the great Romans of the Age of the Republic as well as the founder of Roman monarchism, combining in his person all possible qualities of a statesman. In praise of him the author did not refrain from fictional testimonies, starting his work with a prophecy ascribed to Cicero and enriched by a reference to Accius. However, the *Vita Georgii Washingtonii Latina*, highly estimated by Washington's successor, John Q. Adams, affords an insight into the 'Roman' roots of US-American patriotic patriotism sometimes so surprising for Europeans.

**Key words:** Accius, Alfred the Great, Archaisms, Cicero, Edgar Allan Poe, Education, Europeans, Falsification, Francis Glass, George Washington, John Q. Adams, Julius Cesar, Language and Style, Livy, New Jersey, Old Testament, Panegyrics, Patriotism, Philadelphia, Roman Republic, Sallustius, Spelling of Latin, Strive for acknowledgement, United States of America.

### *Praemonitum*

Quoniam cum ignorantiae tum arrogantiae mihi semper videbatur, quod in symposiis cum collegis Hungaricis habitis nos Vindobonenses quidem semper nostra lingua locuti sumus, illi vero numquam sua, haud abs re esse existimavi ad eum confugere sermonem, qui non solum utrorumque nostrum ut philologorum classicorum et cultus atque humanitatis Europaeae heredum communis est, sed etiam in Hungaria usque ad medium undevicesimum saeculum in usu officiali fuit.

Dissertatiuncula, quam exhibitus sum, bipartita erit. Nam priore parte eaque longiore de opere quodam historiographicum Latine scripto nonnulla disserere mihi in animo est, quod opus in Europa etiam iis, qui studiis neolatinis dant operam, plane ignotum esse suspicor – mihi autem liberalitate atque humanitate Ioannis Ziolkowski amici, universitatis Harvardianae professoris litterarum Latinarum medii aevi, innotuit; posteriore vero parte eaque breviore aliquot quaestiones attingam, quae mihi qui-

dem nonnullius momenti visae sunt, quod attinet ad litterarum Latinarum indagationem cum ratione atque scientia exercendam. Ea in re me si minus indignationem aut contemptum, at certe irrisiōnem maioris collegarum partis in memet esse contracturum pro certo habeo. Tamen, quae dicere usui esse mihi videbitur, non reticebo. Sed quam citissime in medium est prodeundum.

Vitam igitur Latinam Georgii Washingtonii, primi illius praesidis civitatum foederatarum Americae septentrionalis, qui fuit inter annos millesimum septingentesimum tricesimum secundum et millesimum undeoctingentesimum, litterarum Latinarum studiosis praesentare velim, quae anno millesimo octingentesimo tricesimo quarto capitibus duobus et viginti iisque satis amplis absolutum atque anno insequenti Neo Eboracopoli, quae est New York City, apud fratres Harperos, ut in frontispicio legitur, publici iuris facta est curante quidem Ieremia N. Reynolds, auctore vero Francisco Glass, archimastro Ohioensi. De cuius vita praeter ea, quae Reynolds ille in praefatione sua Anglice scripta refert, pauca accepimus. Hoc quidem constat eum anno circiter millesimo septingentesimo nonagesimo in civitate Hiberniae, quae a Columba maiore, qui et Columcille, fundata Derry, ab occupatoribus Anglis autem usurpative Londonderry vocatur, natum anno circiter millesimo duodeoctingentesimo cum suis in Americam migravisse, ubi Philadelphiae litteris Latinis et Graecis institutus cum viris doctis eiusdem urbis semper necessitudine quadam iunctus videtur fuisse; ad vitam suam ipsius uxorisque et liberorum sustentandam adulescentes voluntarios, e quibus unus fuit ille Reynolds, linguas Latinam, Graecam, Hebraicam, scilicet tres linguas sacras Isidori Hispalensis vel doctorum monachorum Hibernicorum vel humanistarum saeculorum antiquitatis renascentis, nec non Francogallicam tum toto orbe terrarum inter homines cultos optime notam ipsamque Anglicam, quod erat patriae suae et veteris et novae idioma, docebat. Si quis plura de eo scire cupiat, praefationem fontibus optime investigatis affatim accurate conpositam consulat, qua Ioannes Franciscus Latimer cooperantibus undetriginta hominibus doctis anno millesimo nongentesimo septuagesimo sexto civitatibus foederatis ducentesimum anniversarium independentiae celebrantibus editionem anni millesimi octingentesimi tricesimi quinti phototypice expressam ad usum eorum qui lecturi essent instruxit. Idem etiam versionem Anglicam et commentarium ad linguam explanandam imprimis spectantem adiunxit. Edita sunt haec tria volumina apud Universitatem a Georgio Washington nuncupata in urbe eiusdem nominis in districtu Columbiae sita.<sup>1</sup>

Cum de fontibus, quibus Franciscus Glass in vita Washingtonii componenda usus est, in ea quam modo dixi praefatione satis actum sit, meum esse statui breviter edisserere, qua arte scribendi, quo stilo, quo denique consilio hoc opus neolatinum conscriptum sit nec non quid ex eo de cultura civili deque Americanorum illius aetatis iudicio sui ipsorum disci possit. In ipsa igitur pagina titulum et locum annumque publicationis continente legitur fragmentum quoddam Ciceroni tributum ab Angelo Mai – ita enim legitur – sub numero quindecimo editum,<sup>2</sup> quod quin spurium sit et ad augendam populorum Europae aestimationem Americanorum ab ipso auctore fictum,

<sup>1</sup> Tria illa volumina in catalogo Bibliothecae Congressus his numeris signantur: 76-4202, 76-4206, 76-53286.

<sup>2</sup> Inspiciatur primum testimonium in appendice expressum.

ne minimum quidem oriri potest dubium. Quo plus auctoritatis his verbis addatur, non modo numerus fragmentorum Ciceronianorum indicatur, verum etiam ipsa pagina editionis; neque tamen in ullo trium voluminum, quae Angelus Mai, doctissimus ille cardinalis Romanae ecclesiae inter annos millesimum octingentesimum decimum quartum et septimum edidit, fragmentum illud continetur. Eo igitur textu auctor vitae Washingtonii monarchiam aspernatus et Americanorum cum Romanis aetatis liberae rei publicae similitudinem demonstrare studet et excellentiam conditoris rei publicae illorum futurae ipsos Brutum et Camillum teste Accio poeta antecedentis laudibus effert. Praesumptam illam inter Romanos atque Americanos coniunctionem auctor in prooemio quoque oblique adumbrat, cum heroa suum more Romano honorifice patrem patriae appellat, cuius vitam scripturus sit, quamvis, quod attineat ad locum, ipse procul distet a Roma et Romuleo flumine, Tiberi scilicet; quo translate intellecto ad eum locum rhetoricum alludit, quo auctores se facultate fluenter et copiose loquendi plane carere per modestiam autumare solebant: et profecto Glass se veteris Latii normae plane hospitem esse subiungit – hic nempe subaudiendum est eum partes civis Latii novi, scilicet Americae, agere, qui opus quoddam simile suis civibus praebere velit atque uberrimus rerum gestarum Romanarum scriptor antiquis praebuit Romanis, Titum Livium dico. Nam postquam de sua ipsius parentia questus est, statim haec addit: „Utcunque erit, juvabit tamen famam viri, omnium saeculorum facile principis, pro virili parte me ipsum consecrasse”.<sup>3</sup> His verbis apertissime celeberrimum illud Titi Livii in animos eorum qui legunt revocare vult, quo ille itidem in prooemio totius operis se a reprehensoribus futuris defendit, quos ei vitia quaedam sermonis sub titulo Patavinitatis profecto criminis dedisse notum est. Glass noster in locum principis populi, qua voce Titus Livius Romanos laudaverat, non sine affectu panegyricorum proprio famam viri omnium, ut dixit, saeculorum facile principis substituit, re ipsa quidem atque tenore sententiae Liviana servato. Auctorem Americanum Titi Livii admirationem populi sui minime dissimulantis vestigia premere vel potius illius pro suis vicem agere velle etiam inde elucet, quod in appendice operis, in qua lectores alloquitur, se operae pretium facturum esse profitetur, si – non ut ille de rebus gestis, quod in opere praecedente iam fecit, sed de vera ratione linguas docendi disseruerit, id est de humanitate illius, quem principem putabat, populi secundum normas ab Europaeis acceptas excolenda.<sup>4</sup> Qua in re tam rigidum linguarum classicarum tutorem se praestat, ut et academicis suadeat, ut sermonis patrii paene obliti tantum Latine aut Graece in scholis habendis loquantur, nec non Horatii sententiam de imitatione Graecorum bene notam secutus adulescentes iubeat pallescentes et a Venere Bacchique abstinentes scripta Latina Graecaque nocturna versare manu, versare diurna (De arte poetica 269). Haec omnia id spectare saepius ille affirmat, ut Americani natura atque ingenio Europaeis pares eos etiam operibus humanitatis atque cultus plenis adaequent. Quapropter librum suum in gymnasiis praeter auctores Romanos legi volebat, quo adulescentes et amore patriae eiusque primi praesidis inflammarentur et linguam dissererent, qua in Academiis Europae eruditi uterentur, Latinam videlicet. Inde intellegitur Franciscum Glass eodem fere consilio opus suum historicum lingua

<sup>3</sup> Inspiciatur secundum testimonium in appendice expressum.

<sup>4</sup> Inspiciatur testimonium tertium in appendice expressum.

aliena summaeque auctoritatis absolvisse quo olim Q. Fabius Pictor quique eum sequi sunt scriptores annualium res gestas Romanorum Graece conscripsissent. Itaque ea etiam in re Americanis – ita certe Franciscus Glass voluit – Romanorum similes se praebentibus, quod ad artes excultiores et ad res sive in pace sive in bello gerendas attineret, vetus illud Latium exemplo fuisse cognoscitur, eo nempe animo quo temporibus recentibus vicem populi Dei veteris testamenti agere sibi videbantur, cum terram, ut putabant, repromotionis – liceat hic locutione Christianorum propria uti – trans Oceanum sitam quoquo modo suam facerent. De iis cogitandi agendique rationibus fundamentisque in Americam migrantium mihi disserenti aptum videtur aliam quoque, ut ita dixerim, radicem nascentis gentis Americanae – semper de civitatibus foederatis loquor neglectis necessario Indianis – commemorare, quam Glass opere suo Latino minime neglexit, scilicet traditionem Anglosaxonicam, quandoquidem maior Americanorum pars ex insulis Britannicis originem ducebat. Is enim rationem panegyricorum secutus sub fine operis heroa suum cum viro quodam optimae famae et qui aetate eum longe antecesserit comparat, ita tamen, ut neque Periclem neque Alexandrum nec Scipionem nec Iulium Caesarem aut Augustum aut Traianum, optimum illum principem, elegerit, quamquam se opere suo gloriam panegyrici Plinii minoris assecuturum esse teste Reynolds editore speravit, sed Alfredum Magnum, regem Anglorum, qui non fuit saeculo. Id illum consulto fecisse patet: Alfredus enim non solum a regibus Britanniae contemporaneis civitatibusque foederatis a Washingtonio in libertatem vindicatis certe infestis temporis intervallo satis longo seiunctus fuit, verum etiam et in armis et, quod iudicio Francisci Glass certe pluris erat, in litteris clarus habebatur. Nam nonnulla opera Latina antiquitatis exeuntis Anglosaxonice vertit, velut Boethii Consolationem Philosophiae et regulam pastoram Gregorii Magni, quapropter ut auctor atque conditor linguae Anglicae politae, id est secundum normam litterarum Latinarum elaboratae celebrabatur celebraturque. Ergo Glass putavisse videtur Alfredum Americanis optimo exemplo esse, quo demonstraret cultum atque humanitatem Romanorum hominumque Anglophonorum iam pridem in unum confluxisse.

Posteaquam haec de opere, quod in tractatu habebam, admodum generaliter dixi, convenire mihi videtur, qua opus est brevitate, de Francisci Glass ratione narrandi stiloque Latino nonnulla exempli magis gratia quam ex ordine quodam certo electa afferre. Vitam igitur Washingtonii vel cursim perlegentes vix praeterire potest auctorem, licet rerum Romanarum scriptores classicae aetatis quam maxime imitandos sibi proposuerit, interdum verba, iuncturas, phraseon structuras orthographiasque Latinitatis vel primaevae vel posterioris vel infimae inserere; velut in voce, quae est ‘littera’, sonum dentalem numquam duplicat, formam adiectivi, quod est ‘inclusus’ sive ‘inclusus’, adhibito *i* Graeco scribere solet, inter formas litterarum *i* et *j*, scilicet vocis vocalis et semivocalis, cuius hasta infra lineam producitur, more modernorum semper distinguit; pro ratione Romana diem indicandi, qua incipiendum est verbis quae sunt ‘ante diem’ sequente accusativo, semper mero casu ablativo numeralis ordinalis utitur, velut ‘tertio Idus Martii’; accedit quod pro verbo dubitandi cum sententia secundaria instructo vel pro iunctura adverbiali, quae est ‘sine dubio’, adverbii loco iuncturam quae est ‘proculdubio’ uno tenore scriptam persaepe ponit; praeterea con-

iunctionem, quae est ‘quamvis’, spreto usu classicorum cum modo indicativo coniungit; formam pronominis reflexivi posterioris et mediae Latinitatis propriam, scilicet ‘memetipsum’, non raro adhibet. Idem nomini simplici, quod est ‘mora’, substantivum compositum, scilicet ‘remoram’, praefert, cuius compositi ab auctoribus classicis quidem evitati, grammaticis vero exeuntis antiquitatis cari Plautus et Lucilius poetae testes sunt.<sup>5</sup> Ex eo exemplo cognoscere licet Franciscum Glass – nescio an doctrinae ostendandae causa – interdum verbis et constructionibus remotioribus indulsisse. Nam cum in ipsa praefatione<sup>6</sup> pro ‘neque enim dubito’ dicit ‘nullus enim dubito’, duobus locis epistolarum Ciceronis ad Atticum datarum niti videtur,<sup>7</sup> ubi voce ‘nullius’ pro ‘non’ praedictive posita, fortasse ex usu loquendi cottidiano, toti sententiae plus roboris additur. Tum Glass in neologismis cautior locorum et personarum nomina, cum linguae ratio postulabat, Latine reddere studuit; velut heroa suum Washingtonium quidem appellat subiuncta desinentia Latina ad casus singulos exprimendos, numquam vero gubernatorem civitatis Virginensis, Dinwiddie nomine, in ullam cogit formam latinizantem; immo quotiens casus obliqui ponendi erant, eos addita aliqua appositione indicat, ut est hoc: ‘a Dinwiddie, Virginiae gubernatore’. Quin etiam in nomine tam barbaro tractando auctor ipsi casui nominativo aliquid addendum putabat esse. Itaque, id quod interdum fecerunt rerum scriptores antiquitatis exeuntis velut Lactantius et Orosius, ad clausulas versuum heroicorum alludens ita scribit: Dinwiddie nomine gaudens, debilitata quidem vi verbi gaudendi.<sup>8</sup> Multo facilis locorum vel regionum quaedam nomina Latine reddi potuerunt. Nam cum eruditiores eam, quae maxima est insularum inter Galliam Britanniamque sitarum, a Caesare nomen deducere accepissent – hocne verum sit, hic non oportet investigari –, statim intellegere poterant nomine Neo-Caesareae eam civitatem foederatam significari, quae Anglice New Jersey vocatur. Non aequa quidem facile est cognitu ingentibus pratis nihil aliud exprimi quam eam Americae septentrionalis regionem, quae voce Francogallica ab hominibus linguae Anglice recepta adhuc ‘prairies’ nominatur. Aequa difficulter intellexeris nomine tremebundorum eos significari, qui propter continuum dei timorem a ceteris Americae civibus eorumque sectae alienis non fratres, ut ipsi sese vocabant, sed trementes sive tremebundi appellabantur, quod Anglice est ‘quakers’.

Quod vero attinet ad narrandi rationem, Glass maximam partem Caesaris commentarios de bello Gallico sequitur, neque mirum: varia enim proelia ei erant describenda et, quod maioris momenti est, primus gloriae Washingtonii gradus fuit legatio quaedam ad praefectum Gallicum, hoc est Francogallicum, propter iniurias a Gallis regionis Canadensis colonis Britannicis civitatis Virginensis illatas facta. In hac narrationis parte, quod est primum caput operis, non solum verbis et sententiis Caesaris

<sup>5</sup> Plaut., Poen. 928; Trin. 38; Lucil. 965 MARX = 970 KRENKEL.

<sup>6</sup> Inspiciatur testimonium quartum in appendice expressum.

<sup>7</sup> Cic., ad Att. 11,24,4; 15,22; hos locos attulit LATIMER (vide notam primam) in commentarii pagina 1.

<sup>8</sup> Haec locutio e clausulis versuum herorum sumpta est, cf. Lucan. 8,128; Martial. 4,11,1; Stat., Theb. 7,303.

bellum Gallicum in animos eorum qui legunt revocatur, sed etiam ipsa res gestas narrandi vel potius non narrandi ratio plane Caesarea videtur esse. Nam cum Washingtonius in legatione quadam, cuius in ipso initio operis mentio fit, quae voluerat, minime perpetrasset, tamen vix quisquam erit, quin toto capite perfecto ei non omnia bene evenisse existimet. Hanc rerum exponendarum rationem, scilicet cuncta sub specie nil nisi sola gesta referentis ad commodum eius, de quo maxime agitur, vertendi, quae Caesaris propria est, Glass tam saepe tamque aperte adhibet, ut aliter atque in commentariis Caesareis ii, qui legunt, semel atque iterum minus historiam quam laudes sub oculis habere sibi videantur. Qua in re auctor ipsum Titum Livium, de cuius imitatione iam dictum est, superat, licet ille Romanos quovis dedecore privare studuerit – plane aliter atque Sallustius, ad cuius opera Glass quidem hic illic alludit, velut cum cives suos ad concordiam observandam adhortatur, qua valeant, atque ut discordiam caveant, monet, qua infirmantur; attamen Sallusti de moribus populi principis magis magisque labentibus iudicium, quantum ad Americanos attineat, nequaquam sequitur. Immo praedicatorem quodammodo agit, cum in peroratione operis Deo Optimo Maximo, ut formula illa catholicorum Romanorum, reapse vero paganorum Romanorum adhibita dicit, gratias agit; suum igitur civiumque suorum utpote in terra affluentiae divina providentia constitutorum maxime esse summo affectu contendit non tantum libertatem modo adeptam tueri, sed etiam religionem et scientiam artesque liberales ac ingenuas colere;<sup>9</sup> quo dicendi ardore atque affectu Ciceronis sive oratoris seu philosophi simillimum se praestat – sufficiat meminisse partium finalium cum orationis primae in Catilinam habitae tum vel maxime somnii Scipionis.<sup>10</sup>

His perpensis intellegitur haud minimam partem eorum quae etiam nostra aetate in Americanorum amore patriae ardenti inque orationibus praesidum eorumque administratorum cum Europaeis tum hominibus linguae Germanicae nimis elata nimique affectus plena videntur, e regulis atque rationibus panegyricorum manare. Illis enim ab initio ipsorum historia animo, ut ita dicam, Liviano stiloque laudativo praebebatur, non solum quidem a Francisco Glass. Cuius opus cum non tantum haberet successum, quantum ille id habiturum speraverat, tamen a viris maxime egregiis illius temporis haud parvi aestimabatur, inter quos erant, ut e testimonii editioni anni millesimi nongentesimi septuagesimi sexti appendicis loco additis colligitur, Edgar Alan Poe poeta et John Quincy Adams, vir litterarum Graecarum et Latinarum haud ignorans, qui postquam Washingtonius anno millesimo septingentesimo nonagesimo septimo, ut legibus provisum erat, munere se abdicavit, secundus praeses civitatum foederatarum electus est quique de Latinitate Francisci Glass valde competenter iudicavit.<sup>11</sup>

Restat ut ad partem posteriorem multoque, ut initio pollicitus sum, breviorem tractandam transeam. Non equidem ignoro adhuc non paucos esse, qui Latinitatis studiosis eius modi litterarum Latinarum rationem habendam esse negent. Quis autem, rogo, munus hoc suscipiat? An historiae investigatores, aut, ut de opere quod tractatum est dicam, litterarum Americanarum gnari? At quis infitietur hos omnes toto orbe

<sup>9</sup> Inspiciatur testimonium quintum in appendice expressum.

<sup>10</sup> In Cat. 1,33; De re publ. 6,28.

<sup>11</sup> Inspiciatur testimonium sextum in appendice expressum.

terrarum linguae Latinae scientia, quanta nempe ad Francisci Glass vitam Washingtonii legendam recteque explicandam opus sit, in dies magis carere? Minime itaque probandi mihi videntur qui aut eorum tantummodo auctorum scripta indaganda et interpretanda esse censeant, qui Latino sermone patrio usi sint. Ea enim ratione media et infima Latinitas tota esset spernenda et ab investigatione scientifica excludenda, quamquam ea est longe amplissima pars litterarum Latinarum. Num reiciamus Bedam, Alcuinum, Hrotsvitam, Ekkehardum, Hildegardim, Archipoetam, Alanum ab Insulis, Thomam Aquinatem, Erasmum Rotterodamum, spectacula Iesuitarum, Nicolaum Copernicum, Isaacium Newton, num reiciamus opera Latina Dantis Alagherii, Francisci Petrarcae, Ioannis Boccacii, Ioannis Milton – ut non nisi potissima affe-ram? Aliis vero placet nulla opera studio digna esse nisi ea quae summa arte summo-que ingenio sint confecta. At quis de natura atque indole operum post antiquitatem conscriptorum, e quibus multa aut nondum sunt edita aut male, iudicabit? Nonne ita censemibus etiam plurima procul habenda erunt, quae ex ipsa antiquitate ad nostram memoriam pervenerunt, sicut Catonis de re rustica libri vel Grattii Fallisci de venatio-ne Carmen didacticum vel epigrammata Anthologiae Salmasianaee quae vocatur vel opus de observatione ciborum cuiusdam Graeci nomine Anthimi? Sed aliis alia usui sunt et tractatione digna videntur; itaque, ut exempla proferam, eorum, qui in historiam sive religionum sive rerum gestarum sive oeconomicarum inquirunt, certe plus intererit, ut minima quaedam particula papyri cuiusdam recte legatur quam ut ars at-que stilus Propertii poetae altius perspiciatur. Ita etiam fieri poterit, ut signorum picturarumque artis plenorum investigatores verbis Theophili presbyteri, qui medio aevo – utrum decimo an duodecimo saeculo, non satis constat – librum de picturis aliisque operis arte componendis scripsit,<sup>12</sup> plus tribuant quam carminibus Horatii. Eadem ratione affirmandum est, si quis radices cultus ac cogitandi suique gerendi formarum, quae Americanorum septentrionalium propriae vel erant vel sunt, cognoscere studeat, ei in vitam Washingtonii Latinam incumbere maiori usui fore quam in comoedias Terentii. Quae cum ita sint, iis qui in ipsam traditionem Latinam, qua populi non modo Europae, verum etiam novi qui dicitur mundi coniungimur, professionis officio inquirunt, hac aetate paene soli linguae Latinae satis gnari – non de philologis classi- cis stricto sensu loquor, sed omnino de Latinistis – iis, inquam, ullam sive temporis sive operum metam ponendam arbitremur? Equidem invenio nullam!

## TESTIMONIA

1. “Longè trans Oceanum, si Libris Sibyllinis credamus, patebit post multa sae-cula tellus ingens atque opulenta, et in eâ exorietur vir fortis ac sapiens, qui patriam servitute oppressam consilio et armis liberabit, remque publicam, nostrae et origine

<sup>12</sup> Theophilum presbyterum eundem fuisse atque Rogerium de Helmarshausen, qui duodecimo fuit saeculo, sunt qui negent, sunt qui affirment. Utcumque res se habet, opus eius magni momenti legi potest in editione ab A. ILG, Vindobonae 1874 publicata (iterum prelo subiecta in civitate Osnabrück anno 1970); nunc consultatur E. BREPOHL, *Theophilus presbyter und das mittelalterliche Kunsthantwerk*, Vindobonae 1999, qui textum Latinum praebet addita versione Germanica.

caeterâque historiâ simillimam, felicibus auspiciis condet, Bruto et Camillo, Di boni! multum et merito anteferendus. Quod nostrum illum non fugit Accium, qui, in Nyctegresiâ suâ, vetus hoc oraculum numeris poeticis adornavit.”<sup>13</sup>

*Ciceronis fragm. XV. ed. Maii*, p. 52.

2. *Vita Washingtonii, Praefatio*:<sup>14</sup> Utcunque erit, iuvabit tamen famam viri, omnium saeculorum facile principis, pro virili parte me ipsum consecrasse, factaque eius pulcherrima memoriae tradidisse, Latinâ immortalitate donata.

2a. *Livius, praefatio* 3: Utcumque erit, iuvabit tamen rerum gestarum memoriae principis terrarum populi pro virili parte et ipsum consuluisse.<sup>15</sup>

3. *Vita Washingtonii, Appendix* (p. 217):

Academicis et Tironibus, in hisce civitatibus nostris foederatis Americanis, eis, praesertim, qui in ludis literariis operam navant, Salutem in Domino sempiternam. Vobis, lectores candidissimi, illustrissimi Washingtonii vitam, latinitate donatam, Americanorum omnium primus, offerre et exhibere gestio. Operae pretium facturus videor, si de linguis docendi verâ ratione paucis disseram.

3a. *Livius, praefatio* 1: Facturusne operae pretium sim, si ...<sup>16</sup>

3b. *Vita Washingtonii, Appendix* (pp. 223sq.): Qui ad metam optatam pervenire vult puer, linguarum et scientiarum ad studium, (scientias eas intelligo, quæ in collegiis nostris vulgò excoluntur,) annum agens decimum, animum intendere incipiet, perque annorum decem spatium in eis invigilabit, easque nocturnâ versabit manu, versabit diurnâ; pallescat super his, Venere et Baccho abstinebit: quum, denique, ex ephebis decesserit iste juvenis, manumque ferulâ subduxerit, patriæ utilis fiet, utilis et bellorum et pacis rebus agendis erit; Americanosque tum gentibus cunctis doctrinâ et scientiâ præstare, verè dici poterit. At nos, fortasse, longius à scopo erravimus, dum sententiam nostram de linguis dicendi ratione aliis explicare voluimus.

4. *Vita Washingtonii, Praefatio*: Nullus autem dubito quin (cf. *Livius, praefatio* 4: haud dubito quin) permultos invenerim, qui genus hoc scribendi naturâ suâ nimis

<sup>13</sup> Inter fragmenta Accii a philologis collecta, quamvis spectaculi, cui nomen erat Nyctegresia, aliquot sententiae serventur, nulla oraculi istius vestigia existunt.

<sup>14</sup> Quae verba in utroque textu eadem sunt, lineis infra scriptis notantur.

<sup>15</sup> Hunc locum Livii celeberrimum iam decimo saeculo imitata est Hrotsvita Gandeshemensis poëtria in paragrapho nona praefationis comoediaram, quas de vitis et passionibus sanctorum sanctorumque compositus Terentii vestigia premens.

<sup>16</sup> Hic adnotetur iam exeunte antiquitate biographum quendam initium praefationis Liviana, qua ille se haud certo scire profitetur facturusne operae pretium sit, plane eodem quo Glass modo invertisse, scilicet ut sibi persuasum esse declararet se pretium operae esse facturum: Sulpicius Severum dico (Vita Martini 1,6). Uterque quem expectaret successum libri sui gloriae eius, qui celebrandus sit, deberi arbitratur. Neque tamen Franciscum Glass Vitae Martini notitiam habuisse demonstrari potest, quamquam uterque rerum scriptor eodem verbo posito, quod est videor, sententiam Livii suo commodo mutavit.

inusitatum, meque, quod ad veteris Latii normam attineat, plane hospitem esse judicarint.

5. *Vita Washingtonii, caput vicesimum secundum* (pp. 212sq.): Cives Americani, terram latissimam, fericissimam, rebus omnibus abundantem possidetis. Concordia valebitis, discordiā infirmi eritis.<sup>17</sup> Religionem, scientiam, artesque liberales ac ingenuas excolere debetis; gratias, imprimis, maximas Deo optimo maximo habere oportet, qui bellum Americanum, Washingtonii ductu, ad exitum felicissimum perducere dignatus est.

Collegia, Academias, et ludos literarios instituere ubique oportet, ut, religio, Dei veri scientia, et artes vite utiles ubique vigeant, ut scientiā à gentibus cunctis dignoscantur Americani: pacis studia colant; in pace, autem, bello necessaria parent. Justitiā et virtutibus omnibus egregiis insignes sint, et Deo soli, libertatis ac bonorum omnium auctori, gratias semper agant: Washingtonii virtutes semper recordentur: factorum ejus splendorem ob oculos propositum semper habeant; Deumque semper precentur, ut imperii Americani felicitas perpetua sit.

6. *From John Quincy Adams, Ex-President of the U. States:*

Washington, 8th December, 1835.

J. N. Reynolds Esq., New-York.

Sir, – I received at Quincy, nearly two months since, your letter of the 9th of September last, and a volume containing a Life of Washington in the Latin language. From the portion of it which I perused, it appeared to me to be good, classical, Ciceronian Latin, not perhaps quite equal to that of Ernesti's Dedication of his Cicero, but not inferior to any other Latin of a later age, or proceeding from any other source than the German Universities.

Of the usefulness of such a book introduced into any of our classical schools or colleges, I should hope there could be little doubt. The fashion of the present day is to deprecate the study of the dead languages, even of the Latin; and the youth of our country are told, that instead of turning over with the nocturnal and the diurnal hand the Greek exemplars, and their faithful followers of the golden age of Rome, they are to form their principles of taste, and eloquence, and poetry from modern writers and orators in their own vernacular language. I am not of that school. Without depreciating the merit of any of the eminent poets, historians, and orators of our own times, I believe it will not raise the standard of literature of the succeeding ages to confine the studies of the rising generation of them. One of the most admired statues of antiquity is that usually denominated the Dying Gladiator. There is at Somerset House, in London, a very good copy of it from the original, and there is by the side of it a modern statue, an exact imitation of its attitude, taken from a malefactor, executed at Tyburn, immediately after death, a subject specially selected for the beauty and fine proportions of his person. The comparison strikes the spectator much as if, for a personi-

<sup>17</sup> Conferantur verba Sallustii, Bell. lug. 10,6: „Concordia magnae res crescunt, discordia maxima dilabuntur.”

fication of poetry, a fac-simile of Alexander Pope should be set by the side of the Apollo Belvidere. Such are my comparisons between ancient and modern eloquence. But then I am told that we can resort to *translations* for all the spirit of ancient composition. If all the young men of our country could be taught to read and understand your Life of Washington, and then to read a page of Livy, Sallust, or Tacitus, and afterward endure a translation, it would be time to burn up all the classics. I should be sorry to lose them, and therefore hope your Life of Washington may be extensively read.

I am with much respect, sir,  
Your obedient servant,  
J. Q. ADAMS.

Universität Wien  
Institut für Klassische Philologie,  
Mittel- und Neulatein  
Dr. Karl-Lueger-Ring 1  
A-1010 Wien